

pane, respondetur nasci istam incompossibilitatem ex ipsa natura corporis, non absolute, sed ut convertibile est, et in ordine ad talem actionem conversivam: Itaque corpus ex pane sumitur, non ut destruens panem in actu secundo, et sic præsupponens destructionem, sed ut destructivum panis in actu primo, quatenus secundum potentiam obedientialem convertibile est totaliter ex tota entitate panis. Ex hoc enim sequitur destructio, non vero ad hoc præsupponatur; et sic corpus Christi est terminus incompossibilis, et destruens panem consecutive; sicut etiam ex positione termini generationis sequitur corruptio formæ præcedentis. Est autem corpus Christi destructivum panis ex sua natura obedientialiter considerata in ordine ad conversionem totalem, sicut natura ignis est incompossibilis aquæ ex natura sua per ordinem ad generationem naturalem, quia in ordine ad aliam actionem bene possunt compati in eodem loco, et sub eisdem accidentibus, ut ostensum est. Et hoc modo corpus Christi destructivum est secundum potentiam obedientialem, non solum substantiæ panis, sed cujuscumque alterius entitatis, ex qua Deus vellet illud convertere, quia secundum potentiam obedientialem omnibus illis opponitur, quæ potest respicere ut terminum a quo; sicut ignis secundum potentiam naturalem omnibus illis opponitur, ex quibus potest generari.

XXXIV. Ad quartam difficultatem respondetur, quod Christus ut ex pane, non dicit novam entitatem, et substantiam absolute, sed respectiva et terminative, quia illam entitas, quæ alia actione fit, potest etiam per istam attingi sub novo modo et respectu; nec tamen dicitur fieri solum ille respectus, aut panem converti in illum respectum,

sed in ipsam substantiam convertitur, ut tamen subest tali respectui, et fundat illam. Sicut idemmet homo qui formatur ex terra, sicut Adam, vel ex sanguine, sicut modo ordinario, vel ex nihilo, sicut per creationem, omnes istas actiones terminat secundum substantiam suam, non tamen absolute, sed prout fundat diversum respectum et dependentiam et terminationem; et tamen non est solus respectus qui formatur vel creatur, sed substantia sub tali respectu; et sic terminus de novo factus in ista conversione, est substantia Christi ut conversa, quia Concilium dicit: « Quod per consecrationem fit conversio in substantiam corporis Christi. » Id ergo quod fit de novo, est substantia corporis Christi, non absolute, sed ut fundat istam conversionem; nulla enim actio est quæ producat terminum ita absolute, quod sub nullo respectu ipsum attingat, quia saltem cum novo respectu termini a quo, et nova dependentia ab agente, et aliis similibus debet fieri: sicut patet in exemplis adductis de homine formato, creato, vel generato.

XXXV. Et idem locus potest terminare ascensum et descensum: idem gradus qualitatis intensionem et remissionem: et denique idem terminus materialis potest formaliter diversas actiones terminare, quæ omnes eundem terminum substantialiter et entitative attingunt, verbi gratia, eundem locum, eandem qualitatem, eandem substantiam. Et tamen si inquiramus, per quid differat formaliter unus terminus ab alio, non inveniemus nisi per illammet entitatem ut fundat talem respectum et terminationem; et sic ipse respectus præcise non est terminus, sed res ipsa absoluta, ut fundat talem respectum et formalitatem; et prout illum sic fundat, fit

de nova terminative, non entitative: nec tamen dicitur de novo produci, quia ad productionem non sufficit fieri aliquid de novo quomodocumque, sed fieri ex non esse ad novum esse: non autem ut fundat alium respectum, quam istum de non esse ad esse, sicut terminum. Esse reproductum, est fieri de esse amisso ad esse iteratum: quæ denominationes et respectus desunt in ista conversione corporis Christi.

XXXVI. Ad ultimum respondetur, quod idem in quantum idem formaliter, non potest specificare diversas actiones, bene tamen idem materialiter, ut fundat diversas formalitates et respectus potest terminare postea diversas actiones, ut in exemplis adductis patet. Cum autem dicitur, quod idem immutatum in se non potest de novo egredi ab aliqua actione, respondetur, quod idem omnino immutatum tam in se, quam in novo respectu, quem fundat, non potest de novo egredi ab aliqua actione; cæterum idem immutatum in suo esse, mutatum autem quoad respectum et dependentiam, potest egredi de novo ab aliquo agente, quatenus de novo facit illam entitatem dependentem a se, et cum novo respectu ad terminum a quo; ex consequenti autem ponit novam præsentiam corporis Christi sub istis speciebus, et loco; quæ præsentia non est primarius terminus, sed consecutus, etc.

XXXVII. Ut ergo res aliqua ita se habeat, quod de novo fundet omnia ista, oportet de novo egredi, et sub nova actione fieri (scilicet, ut conversam ex pane) et sic egreditur nova egressione conversiva, non productiva; et ita manet immutatum in se quoad esse absolute consideratum, non quoad formalitatem, et respectum quem fundat in quantum conversum; et sic terminat actionem specie distinctam, quia

actio non specificatur a termino materialiter considerato, sed formaliter (scilicet, prout fundat talem formalitatem et respectum) ipse autem respectus non est formaliter terminus, sed connotatum termini formalis, et consecutum ad ipsum; formalis vero terminus est ipsa entitas, prout fundat talem respectum, et tale connotatum.

ARTICULUS III.

Deducuntur corollaria quædam ex dictis.

I. Ex dictis colligimus quatuor, quorum explicatio dependet ex articulo præcedenti. Primo colligitur, quomodo corpus Christi dicatur mutari, vel non mutari in ista conversione. Diximus enim supra non habere corpus Christi in hac conversione mutationem physicam, sed metaphysicam. Et intelligimus mutationem physicam illam quæ fit in aliquo subjecto communi utrique extremo; mutationem autem metaphysicam intelligimus aliquam dependentiam, vel influentiam in ipso termino ad quem, non autem in aliquo communi. In hac ergo conversione constat non fieri mutationem ex parte subjecti communi utrique extremo, quia constat tale subjectum non dari, cum non sit conversio formalis, qua in subjecto mutantur diversæ formæ; sed totalis, qua tota entitas (tam scilicet materia quam forma) transit in substantiam corporis Christi, et sic mutatio subjectiva physica non datur.

II. Similiter constat in ipso termino ad quem corporis Christi nullam fieri mutationem in his prædicatis quæ habet in se, et prout existit in cælo, quia nihil perdit Christus in se intrinsece per istam con-

versionem; vere tamen in se recipit novam dependentiam et influentiam per istam actionem conversivam, quia incipit de novo esse terminus realis illius. Unde hæc mutatio non dicitur metaphysica, quasi non sit vera et realis actio realem terminum habens; sed distinguitur a physica, quia non fit per mutationem subjecti, sed termini. Denique ipse panis realiter et physice mutatur mutatione privativa et destructiva de esse ad non esse; de hac tamen non loquimur in presenti, quia solum est difficultas de mutatione positiva in ipso corpore Christi.

III. Quibus positis componi possunt diversæ sententiæ in hac parte; quidam enim dicunt in corpore Christi nullam fieri mutationem substantialem, sed mutationem se tenere ex parte panis, qui transit substantialiter in corpus Christi; quæ est sententia S. Thomæ in iv, dist. xi, quæst. i, art. iii, quæstiuncula prima, ubi inquit: « Quod id in quod terminatur conversio, nullo modo transmutatur (scilicet corpus Christi) sed solum panis, qui convertitur. » Et idem insinuat in hac quæstione lxxv, art. iv ad primum, et ad secundum et communiter sequuntur Thomistæ alique auctores ut Alensis, Richardus, S. Bonaventura, Marsilius, et alii quos citat Suarez hic disput. l, sect. v; e contra vero Scotus, Durandus, Paludanus, Ocham, et communiter nominales tenent hanc actionem inducere mutationem in corpus Christi.

IV. Nos dicimus S. Thomam solum negare mutationem subjectivam et physicam, ut patet in loco citato, dist. xi: « Ubi, inquit, quod naturalis mutatio non potest pertinere usque ad variationem materiæ. » Et in toto illo articulo de mutationibus naturalibus loquitur, quæ sunt mutationes physice. Et simili-

ter in hac quæstione lxxv citata loquitur de mutatione habente subjectum, quæ utique physica est, et hanc denegat corpori Christi. At vero loquendo de mutatione terminativa, seu metaphysica, qua terminus accipit dependentiam et influentiam ab aliquo agente, non negat S. Thomas (nec negari potest) quod sit aliqua mutatio in corpore Christi, in quantum terminus est conversionis; non quia aliquod prædicatum substantiale mutetur, et non maneat idem atque antea in corpore Christi, sed quia novo modo illa substantia terminat, et dependet ab influentia actionis, quam ante, et cum novo respectu ad terminum a quo, scilicet ad panem, ex quo fit conversio.

V. Restat autem duplex mutatio in corpore Christi; una primaria et substantialis, qua ista substantia novo modo dependet a Deo, ita ut si cessaret actio generativa virginis, adhuc ex vi istius actionis conversivæ haberet esse; et hæc mutatio fundat in corpore Christi novam dependentiam a Deo, et novam terminationem ab ejus actione, novumque respectum ad terminum a quo, qui est panis; et ad talem terminum sic conversum fit influentia istius actionis conversivæ, et consurgit hujusmodi respectus et dependentia. Nec sufficit ad hoc mutatio panis, quia ex parte panis solum est mutatio privativa et destructiva illius: ergo non est sufficiens fundare istam novam dependentiam, et terminationem positivam in corpore Christi, et respectum ad ipsum panem, ut ad terminum a quo.

VI. Alia est mutatio secundaria in ipso corpore Christi, quantum ad præsentiam, quam acquirit sub istis speciebus, et unionem ad illas; similiterque in ipsis accidentibus consequitur novus modus essendi, saltem negativus, quatenus conser-

vantur in suo esse sine dependentia a subjecto, ut diximus in libris de generatione quæstione ix, quæ tamen mutatio pertinet ad ipsa accidentia. Illa vero præsentia et unio ad species recipitur in corpore Christi, quia ipsum corpus Christi in se intrinsece et formaliter constituitur præsens sub istis speciebus; quæ præsentia non est circumscriptiva, quia non est localis, neque modo quantitativo, sed indivisibili, quatenus totum est in toto, et totum in qualibet parte.

VII. Neque etiam est definitiva, sicut præsentia Angeli, quia licet sit modo indivisibili, sicut Angelus, non tamen definitur ad certum terminum, ratione cujus vocatur præsentia Angeli definitiva, quia taliter est in uno loco, quod non potest esse in pluribus. Corpus autem Christi ita est sub una hostia, quod in pluribus et diversissimis locis simul esse potest. Vocatur ergo illa præsentia sacramentalis, quia habet hunc effectum, ut modo indivisibili ponat corpus Christi sub istis speciebus, nec tamen coarctet et limitet corpus Christi, ut non sit alibi, ideoque non est præsentia definitiva.

VIII. Neque est necesse, quod ista præsentia producat per distinctam actionem ab ipsa conversione, sed eadem actione conversiva, qua attingitur substantia Christi ex pane, constituitur præsens sub speciebus, sicut eadem actione qua generatur substantia, constituitur præsens in loco, quia in aliquo loco generari debet. Licet autem conversio illa absolute considerata, et metaphysice salvari possit sine hoc, quod talem præsentiam indivisibilem producat, aut unionem ad species, quia posset Deus ponere hic corpus Christi destruendo accidentia panis, et similiter posset convertere ipsum manente sua naturali et quantitativa præsentia, non relinquendo ipsum in cælo, tamen ista

conversio quatenus sacramentalis, habet vim ponendi Christum sub speciebus, ut mediantibus illis reddatur visibilis et sacramentatus: neque est novum, quod actio productiva substantiæ vel conversiva, habeat vim ponendi aliquod accidens in illa, quod non sit propria passio; sicut eadem actione qua fit corpus mixtum, fit consecutive calor et figura, et alia accidentia, quæ non sint propriæ passiones.

IX. Solum inquiri potest, quomodo hæc conversio differat a creatione, cum sit actio ex non subjecto; creatio autem hoc maxime proprium habet, quod facit rem non ex subjecto, neque per modum educationis, sicut generatio. Unde etiam S. Thomas in hac quæstione lxxv, art. iii dicit: « Hanc actionem esse similem creationi, quia non fit ex præsupposito subjecto; » negat autem prima parte quæst. xlv creationem esse mutationem, quia non fit ex subjecto: ergo ista actio non differt a creatione. Quod si differt per hoc quod creatio est ex nihilo, hæc autem conversio est ex aliquo, talis differentia est omnino materialis, et per accidens, quia solum tenet se ex parte termini a quo; unde non sumitur specifica et essentialis differentia.

X. Nihilominus actio ista nullo modo dicenda est creatio, ut docet S. Thomas in hac quæstione lxxv, art. viii, quia ad creationem non solum requiritur quod res fiat ex non subjecto, sed etiam ex non termino, scilicet ex nihilo; ad conversionem autem per se requiritur quod fiat ex aliquo termino positivo, licet non fiat in aliquo subjecto communi utrique extremo, quia est transitus de uno in aliud. Unde licet sit terminus a quo illud extremum ex quo fit conversio, tamen omnino requiritur ad essentialem et quidditativam rationem conversionis, saltem

in obliquo et in connotato, quatenus conversio respicit terminum ad quem, non absolute, sed ut fundat respectum illum ad talem terminum ex quo, quem non fundat terminus creationis, sed pure est ex nihilo. Ad distinguendum autem terminos actionum formaliter et quidditative, non requiritur diversa entitas de novo producta, sed eadem ut fundat diversos respectus ad diversa connotata; sic enim fit per diversam viam, et actionem, sicut idem locus quando acquiritur per ascensum, vel descensum; et idem homo quando fit per generationem, vel formationem e terra, vel generationem. Igitur in hac conversione terminus a quo refunditur etiam in terminum ad quem de connotato, et attingitur etiam per ipsam actionem, quatenus transmutatur per illam, et sic versatur circa illum.

XI. Secundo colliges ex dictis, in quo subjecto sit ista conversio, seu actio; nam S. Thomas in quæstione LXXV, art. IV ad tertium dicit: « Quod cum hæc conversio substantialis importet ordinem quemdam substantiarum, quarum una convertitur in aliam, est sicut in subjecto in utraque substantia, sicut ordo et numerus. » Statim vero solutione ad secundum dicit: « Quod hujus conversionis non est accipere aliud quod subjectum. » Quæ quidem verba prima facie videntur contraria, sed revera non sunt, quia hoc secundo loco S. Thomas loquitur de subjecto sub utroque extremo manente, et tale subjectum non datur in ista conversione, sicut in conversione formali, cui S. Thomas istam contraponit. At vero in priori loco loquitur de subjecto inhæSIONIS, seu denominationis, quod in hac conversione deesse non potest, cum utrumque extremum denominetur mutatum; unum privative, alterum positive.

XII. Quare cum in præsentī inveniatur una actio (scilicet conversiva) cum duplici mutatione, oportet distinguere de ipsa actione et de ipsa mutatione, ad assignandum unicuique proprium subjectum; nam actio illa considerata active, ut est ipse actus secundus, ex parte agentis est in Deo; neque est aliud quam ipse Deus, qui se ipso, et non per aliud superadditum est in actu puro, et in actu secundo ad omnes effectus, quos voluerit facere; actio vero instrumentalis, quæ pertinet ad ipsa verba quæ instrumentaliter concurrunt ad istam conversionem, pertinet ad ipsam virtutem quam Deus imprimit verbis, et in actu secundo constituitur per ipsam actionem ut tenet se ex parte agentis; actio autem ut tenet se ex parte termini, et cum ipsa mutatione involvitur, est tamquam in subjecto in termino ad quem; eo quod actio sic considerata identificatur cum suo termino ad quem, sicut fieri cum facto esse; via et motus cum termino: et sic ubi est terminus, ibi est actio ut terminata. Mutatio autem privativa panis nec habet subjectum positivum, quia subjectum ejus destruitur, cum transeat de esse ad non esse; et sic mutatio corruptiva formaliter non habet subjectum positivum permanens, sed transiens, et destructum; ideoque cum illo transit ipsa mutatio privativa. Quia tamen corruptio sequitur ad ipsam generationem effective, ideo corruptio effective est in genito ubi est ipsa generatio, quæ est effective corruptio; formalis autem destructio, seu corruptio non destructum, seu existens, sed destructum, nec amplius requiritur ad privationem seu negationem; unde non tam habet subjectum inhæSIONIS, quam denominationis.

XIII. Solum objici potest: Quia actio illa, seu mutatio positiva, te-

nens se ex parte termini ad quem, est effective illius termini; ergo prius natura existit, quam terminus reddatur existens in facto esse, si quidem effective influit in illum: causalitas autem effective supponit existentiam, ut influat; ergo pro illo priori, in quo verificatur quod influit, verificatur quod existit; sed pro illo priori in quo influit, nondum terminus ejus est existens, quia per talem actionem producit; ergo non existit illa actio, neque subjectatur in termino a se producto, si quidem prius influit et existit, quam terminus sit productus.

XIV. Hæc difficultas currit etiam in creatione, quia influxus creativus debet cum termino creato identificari, et tamen influit in illum tamquam influxus effectivus. Respondetur ergo, quod in illo priori, quo illa actio influit, non intelligitur existens plene et complete, sed solum in fieri. Existit autem in facto esse pro alio posteriori, in quo terminus intelligitur productus; in re autem, et quantum ad instans durationis vere existit. Et cum instatur, quod influentia effective supponit existentiam, distinguo; supponit existentiam in sua causa, a qua dimanat, concedo; in ipsamet actione et influentia pro illo priori, nego; sed solum in re et de facto existit, sicut suus terminus; non autem pro omni prioritate debet intelligi existens in facto esse, sed sufficit quod in fieri; et hoc ideo, quia etiam pro illo priori naturæ ipse terminus, cum quo identificatur, non intelligitur in facto esse, sed in fieri; actio autem et influxus non plus existit, quam suus terminus, cum quo identificatur.

XV. Tertio colliges, quomodo possit quælibet res creata converti in quamlibet aliam. In qua re plures auctores tenent absolute, quodlibet ens posse in quodlibet converti,

dummodo non convertatur in Deum, neque Deus in creaturam, quia hoc non potest fieri sine aliqua mutatione et dependentia tam ex parte termini ad quem, quia novo modo per actionem illam attingitur, et accipit dependentiam, quam antea non habebat; nec potest etiam intelligi ex ente limitato et creato fieri ens infinitum et increatum. Loquendo ergo de conversione in creaturam, tenet hanc sententiam S. Thomas in hac quæstione LXXV, art. III ad tertium, et Sotus in IV, dist. XI, quæst. II, et communiter Thomistæ; eamque indubitam debere esse fidelibus scribit Bellarminus libro III de eucharistia, capite XIII.

XVI. Alii tenent non posse proprie fieri conversionem unius rei in aliam, nisi utrique extremo maneat aliquid commune, saltem aliqua accidentia, quia si nihil in utroque manet commune, non videtur salvari conversio, sed pura et sola successio substantiarum, annihilata una, et producta alia. Sed tamen hoc commune quod manet in utroque extremo, non potest esse materia panis, ut existimavit Durandus in III, dist. XI, quæst. II, numero VI, quia jam definitum est ab Ecclesia, nihil substantiæ panis et vini manere, sed dumtaxat accidentia, ut dicit Concilium Tridentinum sess. XIII, can. II, neque etiam debet remanere aliquod prædicatum commune, quia prædicata generica destruantur destructis inferioribus, in quibus sunt, et cum quibus identificantur.

XVII. Nihilominus aliqui auctores dicunt, requiri ad conversionem quod maneant aliqua accidentia communia utrique extremo. Et in hoc conveniunt Vazquez et Suarez, sed ex diversis fundamentis: Vazquez quidem disput. CLXXXIV, capite II, quia existimat unam substan-